UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

Lanuza, Jerónimo Bautista de

Antverpiæ, 1649

§.15. Mea doctrina non est mea. Prædicatoris doctrina, sit Dei, cuius ipse legatus est & vt talis honorari debet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53104

Visual Library

rator, cur pauperi non reſtituis quod illi per vſuram abſtuliſti? Domine, modo neceſſitate nimia coarctor, dum mihi facultates fuerint ampliores, reſtituam. Illa tibi detines, & tunc quando præ oculis habes magis illis afficeris, & minus de reſtitutione cogitas. Vt quid peccata haudquaquam confiteris, vitamque illam tot libidinibus conſpurcatam non corrigis? Domine modo alijs occupor, breui tempus aderit Quadrageſimæ, illis opportunum, & ex corde ſpondeo meliora. Nec ante feciſti nec adueniente facies hoc Quadrageſima; cum confeſſionem expedias breuem, mutilam, inpræmeditatam, imparatam, nulla vera contritione formatam. Domine, inquit alter, ſi Deus proſperam mihi concedat valetudinem euadam in virum ſanctum, multis ieiunabo diebus, pœnitentiam agam, etenim nũc aduerſa corporis valetudine adhoc non datur opportunitas. Salute gaudes integra, minus hoc quod promiſiſti, perficis. Væ tibi miſero, qui de termino differs & appellas in terminum, & ſi malè diebus vixiſti prioribus, peiùs te geris viuiſque poſterioribus.

Hos conſidera proditores, tunc appellarunt in tẽpus illud, quo Propheta veniret à Deo promiſſus, & nunc dum eum præſentem habent, eum audiunt, toto reijciunt impetu, vellicant, calumniantur. *Ira Dei manet ſuper eum*; ſic de talibus Baptiſta vaticinatur. Ex præmiſſis declarat D. Gaudentius Epiſcopus Breſenſis illa Chriſti verba. *Sermonem quem audiſtis, non eſt meus ſed eius qui miſit me Patris*, & concludit: *Quo dicto ſatis claruit, Patris contemptores eſſe vniuerſos, doctrinam vnigeniti filij contemnentes.*

Ioan. 3. 36
In Bibliotheca vet. Patrum fol. 269.
Ioann. 14. 24.
D. GAVD.

§. 15. Mea doctrina non eſt mea. *Prædicatoris doctrina, ſit Dei, cuius ipſe legatus eſt & vt talis honorari debet.*

☞ 40

I. Prædicator non ſua ſed Dei verba proponat.

HOc illis Dominus intimare voluit, pariterque prædicatores inſtruere, quid illis ſit prædicandum; non propriæ inuentiones, non de proprio cerebro compoſita figmenta, ſed quæ Deus illis dicenda præcipit; vt eis dicere liceat: *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me*: iam enim Saluator eoſdem inſtruit, dicens: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Sicut ille deſcendit ab æterno Patre legatus miſſus, nos mittit velut legatos ſuos, *Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos*: ait ille prædicatorum coryphæus D. Paulus. Fidelis legatus non de ſuo capite componit, quæ ſibi dicenda ſunt, ſed attendit auditque quæ ſibi proponenda præcipiuntur. De hoc querelas contra falſos quoſdam Prophetas Deus olim deponebat. *Qui loquuntur de corde ſuo, & dicunt viſiones capitis ſui.* Et hoc proprium eſt hæreticis, inquit Rupertus velle perſuadere, ac prædicare ſuas imaginationes, doctrinas, Phantaſmata. *Hæreticorum iſta profeſſio non eſt. Mea doctrina non eſt mea: illis magis placet propria, illaque omnium Sanctorum communis eſt.* Suos Dominus mittit vt prædicent, legatos ſuos per totum mundum, & vt talibus quid prædicent, imponit. *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Ite, prædicate non propria commenta, ſed nec propria veſtra verba, ſed mea, meumque Euangelium. His conformiter aiebat D. Pet. *Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei.* Et D. Paulus: *Sicut ex Deo, & coram Deo, ita in Chriſto loquimur.*

Ioann. 20. 21.
2. Cor. 5. 20.
Hier. 23.
& Ezech. 13.
RVPERT.
Marc. 16. 15.
1. Pet. 4. 11.
2. Cor. 2. 17.

Miſſurus Dominus Ezechielem ad munus prædicationis, librum illi tradit *ſcriptum intus & foris* proprijs ſuis verbis, mandatque vt illum comedat, ſibi inuiſceret, pergatque verba illa ſua prædicaturus. *Fili hominis comede volumen iſtud, & vadens, loquere ad filios Iſrael, & loqueris verba mea ad eos.* Idem contigit D. Ioanni Euangeliſtæ (ipſo teſte) nec vacat myſterio: Prædicatori namque conuenit vt primò comedat, guſtetque doctrinam, ac illam ſibi incorporet, vt non tantùm in verbis eius, quantùm in operibus innoteſcat. An tibi excidit quod Apoſtolus ait: nutrici prædicatorem aſſimulari: *In medio veſtrum, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos.* Nemo ignorat quid nutrix faciat vt filios ſuos enutriat: ipſa namque prior cibum manducat, quem illi filij pater adminiſtrat, illum ſibi inuiſcerat, in ſuum recipit ſtomachum, digerit, & in lac conuerſum ſugendum præbet puſioni. Hoc munus eſt prædicatoris, ipſe prior cœleſtem diuinæ doctrinæ cibum manducet, à Deo ſibi oblatum, ſibi incorporet, vt ſuum faciat, illum operando, illum exequendo, illum ſentiendo. Poſtmodum nullo negotio in lac conuerſum præbere poterit recipiendum auditoribus; dicetque cum Paulo: *Tanquam paruulis in Chriſto lac potum vobis dedi*, &c. Hoc igitur prædicit, verba ſcilicet, quæ recepit à Deo prædicãda. Hanc Ezechielis hiſtoriam expendit D. Greg. & Dei verba: *Et audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me.* (& ait:) *Monetur Propheta ne præſumat loqui, quod non audierit, ſed prius aurem cordis aperiat voci creatoris, & poſtmodum os ſui corporis aperiat auribus plebis.* Et occaſione ſimiliter notat, quod D. Aug. circa illa Pſalterij verba prænotauerat: *Inclinabo in*

Ezech. 3. 1.
Apoc. 10. 2.
1. Theſſ. 2. 7.
D. GREG. *Hu. 1. in Ezech.*
II. Confirmatur ex Ezechiele.
In pſ. 47.
Pſ. 48. 5.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

bo in parabolam aurem meam, aperiam in Pſalterio propoſitionem meam. Ordo legitimus, vt priuſquam vocem ſuam depromat, qua quæ conceperat dicat, ad ſonitum Pſalterij auſcultet attentius, & aures ad parabolam arrigat propoſitam, quo ſignificatur, quòd prædicator priuſquã linguæ ſuæ Pſalterio ſuam edifferat propoſitionẽ prædicando, Deo mentis applicet aures, audiatque, quid ſibi in Scripturæ inſuſurret dicatque parabola.

O quàm bene Dei verbum proponebat vates Hieremias, de quo eius actuarius Propheta Baruch teſtatur, dum linguæ ſuæ verba promulgabat Regi ac populo: loquebatur, non ſicut, qui dicit effingit, & qui de proprio hoc efformat cerebro, ſed ſicut recitat aliquid in libro
Hiere. 36. 18. ſcriptum ſibique propoſitum. *Ex ore ſuo loquebatur, quaſi legens ante me omnes ſermones iſtos.*
Hinc addiſcant primò viri Eccleſiaſtes, quid ſibi prædicare competat, non fabulas, non proprias inuentiones, ſed Dei verba, & hoc prologo ceu fundamento Prophetarum concionem exordiri:
III. *Hæc dicit Dominus.* Non negamus dictum D.
Ornatus Auguſt. quòd illis neceſſarium ſit procurare,
tamen componere, & adornare hæc Dei verba, illaque
non ne- ſapidiſſima reddere, ſunt namque hominum ap-
gatur. petitus magis corrupti, quàm ægrotantium, qui-
IV. bus cibi etiam delicatiſſimi nauſeam prouocant,
Allego- & illa diſponere, quæ tum ſapientia tum
ria de pietate conſpicuus Mardocheus pulcherrimæ
Eſther. Eſther reginæ præſcripſit, quæ licet pulchritu-
Eſther. dine faciei ſtellis æqualis haberetur, vt tamen ad
4. & 15. Regem Aſſuerum ingreſſa grata foret regiæ Maieſtatis oculis, atque illam is apertis vlnis gratam acciperet ad populi Dei liberationem, eam adornari præcepit veſtibus, ceruſſis, ac monilibus illis, quibus maximus ille præcipuè Monarcha delectabatur. Quinimo & ipſe Deus Prophetam voluit veſtes immutare vt liberrimus illi coram Rege Benadab pateret ingreſſus: ſi namque illo habitu indutus non intraret, acceſſus illi omnino negaretur.
☞ 51 Conſilium eſt Spiritus S. vt qui declamare debet, annitatur eruditè perorare: verba nam-
Prou 6. 13 que eleganter terſèque prolata, vt fauus mellis, dulcia reputantur: *Cor ſapientis erudiet cor eius:* dicenda ita ruminet, vt ornatè proferantur. Legunt Septuaginta: *Cor ſapientis cogitabit quæ ab ore eius:* & addit: *Fauus mellis verba compoſita.* Quàm guſtui acceptus eſt fauus mellis candidus, mundus ſuiſque caſulis ita ordinatè diſtinctus, vt omnem mundi totius opificum ſuperet induſtriam, fauus inquam melle

ſuauiſſimus. Sic illum apes componunt, eoque
modo, ſuos conuenit vt ſermones componant V. Similitudo inter veſcentes & auditores.
prædicatores, quatenus auditorum ſibi concilient affectum, eorumque corrupto placeant appetitui. Num ignoras, quæro cum D. Auguſt. verbum Dei cibum eſſe animæ, & quod ille ſit à te præparandus hiſtoriarum, exemplorumque, &c. condimentis. *Quoniam inter ſe* (lo-
quitur Diuus Auguſtinus) *habent nonnullam ſi-* D. Aug. Lib. 2. de doctrina Christia. c. 11. Tom. 3.
militudinem veſcentes atque diſcentes, propter faſtidia plurimorum, & iam ipſa, ſine quibus viui non poteſt, alimenta condienda ſunt. Vnde dixit quidam eloquens, & verum dixit, ita dicere debere eloquentem, vt doceat, vt delectet, & flectat, &c. Et hoc opinatur Apoſtolum Timotheo diſ- 2. Timot. 1. 13.
cipulo ſuo ſcripſiſſe: *Formam habe ſanorum verborum, quæ à me audiſti in fide, & in dilectione, in Chriſto Ieſu.*

Notat autem prædicator quòd primum illi præcipit: *formam habe ſanorum verborum;* non eorum quæ vana ſunt, quæ profana, quæ affectata, quæ compoſita, vt paulò pòſt non ſciat, qui præſens audiuit, quid dixerit; vt in huius operis cenſura præmiſimus; & ſecundum: vt verba ſint audita, & deprompta ex doctoribus Catholicis, quæ ad Dei prouocent amorem, non verba de libris producta leuioribus ac impudicis, quæ magis admirationem riſumque moueant, quàm
amorem Chriſti, criminumque contritionem. VI.
Secundò: vos auditores compello, veſtrum Honorádi prædicatores.
hoc eſt negotium vt audiatis, recipiatis ac honoretis prædicatores, vt Dei legatos & ſcitote quod iniurias ac contemptum quibus eos vilipenditis, Deus ſibi propria reputet, omnibuſque dicat,
quod olim Samueli: *Non te abiecerunt ſed me:* 1. Re. 8. 7.
quodque Apoſtolis: *Qui vos ſpernit, me ſper-* Luc. 10.
nit: & qui vos audit me audit, Sicut Rex ſibi 16.
inuſtas cenſet iniurias ſuis illatas legatis, & cum VII.
Dauid columbina manſuetudine præfulgeret, Similitudo.
tam horrendis tamen Ammonitas multauit, & attriuit ſupplicijs, teſte S. pagina, ob contemptui habitos ab ipſis legatos à ſe miſſos. Ac eodem modo honorem eis præſtitum, vt proprium acceptat Deus & vt talem digna compenſat retributione. Quod ſi ſibi propinatum cenſeat aquæ calicem pauperi in eius nomine porrectũ, quantò magis id quod prædicatori in eius nomine, qui illum delegauit?

Tertiò: ſciant prædicatores, qua ſint cõſolatione VIII.
demulcẽdi, & auditores, quo timore percellẽdi vt Ratio ab
notat D. Chryſ. ſuper parabolã de quinq; talẽtis. auditoribus ex
ſeruo nihil amplius incũbebat quã dare pecuniã peteré à
ad vſuram, attamen lucrum recipere, non illum, ſed Deo.

Ho. 32. in Gen. & orat. 5. contra Iudæos. Matt. 25. 25. Luc. 19. 22.

ſed Dominum tangebat. Ita dixit. *Quare non dediſti pecuniam meam ad menſam, & ego veniens vtique cum vſuris exigiſſem illam.* Ad nos nihil aliud attinet quàm Dei nuntia proclamare eiuſque diuina verba proloqui: ipſe ſuo tempore veniet à vobis rationem exacturus, qualiter hanc recepiſtis pecuniam, quo lucro illi reſpondiſtis. Non noſtram erogamus pecuniam, ſed Dei, non noſtra ſed Dei verba proponimus: hoc etenim quiſque dicit prædicatorum: *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me.* Tu videris quam Deo reddas rationem, quando cum vſuris lucroque eam eſt à te repetiturus.

§. 16 Mea doctrina non eſt mea, *&c. Illis verbis proſternit Dominus Pelagium ac Lutherum, & confeßionem docet de efficacia gratiæ Catholicam.*

☞ 42 D. Aug. *Tract. 29. in Ioann. Tom. 9.*

EXpendit D. Auguſt. hæc verba Saluatoris: *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me,* &c. Nos autem præmonet, quod, tanquam diuinus Magiſter nobis admirandum præferat humilitatis exemplum, tutamque formam, quid ſentire qua & ratione, loqui debeamus de virtutibus, quas in anima fortè poſſidemus. *Magnum humilitatis exemplum Dominus noſter Ieſus Chriſtus nobis prębuit,* cuius rationem aſſignat D. Cyrill. cum enim ſibi poſſet doctrinam attribuere, quam prædicabat vt vero Deo: qui ipſe erat ſapientia per eſſentiam, principaliter tamen eam adſcribit cœleſti ſuo Patri, vt eius primo atque originali principio. O Sanctum, pium, humilemque Iſaac. Erat terra Palæſthinorum aridiſſima quocirca valde difficulter ali poterant animalia: In illa commoratus Abraham, inſpirante Deo puteos nonnullos aperit, & ſuorum opera famulorum effodit, non ſine peracri incolarum oppoſitione, & ex oblatis occaſionibus imponit nomina ſingulis. Palæſthini liuore tabeſcentes, & nequitia peruerſi eos obſtruxerunt, humo terraque opplentes. In regionem illam venit Iſaac filius eius, & immenſo ſtuduit eos labore expurgare, fecitq; eo modo, vt non ſine magna Palæſtinorum admiratione, repererit aquas viuas. Nec preterit hoc Spiritus S. quòd puteos illos iiſdem omnibus appellarit, quibus eos Abraham pater ſuus appellarat, illarum ſibi nolens gloriam imputare, ſed eam parenti ſuo adſcribere, quem illarum auctorem aquarum, quàs ipſe effoderat, ac principium venerabatur. *Appellauitque eos iiſdem nominibus, quibus ante Pater vocauerat.* Aperuit atque effodit Pater æternus famulorum ſuorum operâ, Patriarcharum videlicet ac Prophetarum puteos illos, myſteria diuina, de quibus S. litteræ. Illos obſtruxerunt. Iudæi terreni, & inuidiâ liuidi, humo ſuorum affectuum carnalium, falſis ſuis interpretationibus ac doctrinis, quibus populum decipiebant. Acceſſit verus Iſaac Chriſtus, illos conatur aperire, aquas limpidas Sacramentorum cœleſtium effodiendo, atque adeo neruosè ac ſubtiliter, vt non mediocris omnes haberet admiratio. *Mirabantur Iudæi.* Et quærunt: *Vnde?* Reſpondet nomen imponens ad Patris ſui gloriam, cum confeſſus aquarum illarum primum principium, atque originem, illas non ſibi, ſed Patri referens acceptas. *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me.* Vt tu, ac quilibet vir iuſtus dicere addiſcat, (idque iure multo potiori) Mea ſapientia non eſt mea, mea iuſtitia, mea gratia, mea vitæ ſanctitas, mea mentis deuotio, mea ieiunia, mea merita, mea perſeuerantia non mihi ſed Deo imputanda.

Lib. 4. in Ioan.

I. Chriſtus verus Iſaac puteos patris ſui oppletos aperuit.

Gen. 26

II. Chriſtus verus Iſaac patri tribuit eorum honorem.

Quàm congruè dixit Apoſtolus de Chriſto, quod miniſter ſit in domo Dei fideliſſimus! *Fidelis in domo Dei.* Angelus in domo Dei fuit. *In paradiſo Dei fuiſti:* porrò Domino ſuo infidelis: donis etenim ſuis inflatus, rebellis inſurrexit, illa ſibi adſcribens. *In multitudine pulchritudinis tuæ eleuatum eſt cor tuum in decore tuo;* ideoq; de illo dicitur: *In veritate non ſtetit.* Illud *In veritate,* idem eſt atque *In fidelitate:* Fidelis eſſe non perſeuerauit: Verumtamen Chriſtus in veritate ſtetit: quia quidquid boni poſſidet ſuo fert acceptum Patri. *Mea doctrina non eſt mea,* &c. O ſublimem, ac præclaram confeſſionem! Perpende Redemptorem noſtrum duos inter famoſos mala vtique famâ conſtitutum hæreticos Pelagium cum ſuis aſſeclis, & Lutherum ſuis ſtipatum diſcipulis peiores ambo, quam latrones illi quos inter medius Chriſtus crucifixus occubuit, quia ex aliquorum iudicio in principio Chriſtum ambo contumeliis irritabant, quodque primo verbo ſuo hunc conuerterit, & altero, ictum illi inflexerit adeo terribilem, vt vtramque proſtrauerit. Sic eum alia occaſione conſiderat D. Ambroſ. quando verba illa protulit: *Ego & Pater vnum ſumus.* Quaſi in medio duorum hæreticorum Arij & Sabellij: quia vno verbo hunc proſternit & altero. Dicendo *vnum* Arium proſternit, qui vnitatem negabat eſſentiæ, & dicendo *ſumus* confodit Sabellium, qui diuerſitatem negabat perſonarum. Similiter hic in medio conſtituitur iſtorum, dicendo. *Mea doctrina,*

Hebr. 3. 2.

Ezech. 28. 17.

Ioan 8. 44.

III. Chriſtus medius inter duos hæreticos vtrumq; confodit.

Vide Ho. 30. ad finem. Ioan. 10. 30.

proſter-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN